DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA,

DE

MEDICINA STRA-TEGEMATICA,

Quam,

AUSPICE DEO PROPITIO

Et Consensu atque Auctoritate Gratiosæ Facultatis Medicæ,

IN ALMA REGIA FRIDERICIANA,

PRÆSIDE

N. D. MICHAELE ALBERTI,

CR. MAJ. REG. BORUSS. AULICO ET CONSIST. MAGDEB. CON-
ILIARIO, MED. ET PHILOS. NATUR. PROFESSORE PUBL. ORDIN. ACAD.
NAT. CUR. COLLEGA, SOCIET. REG. BORUSS. SCIENT. SODALI, ETC.

DN. DECANO H. T. SPECTATISSIMO,

Domino Patrono ac Promotore suo omni honoris cultu prosequendo,

PRO LICENTIA

MMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS ET PRIVILE-
GIIS DOCTORALIBUS LEGITIME IMPETRANDIS,

HORIS LOCOQVE CONSUETIS

ANNO MDCCXXIX. D. , NOVEMB.

PUBLICÆ AC PLACIDÆ ERUDITORUM VENTILATIONI
SUBJICIET

RESPONDENS

EORG. CHRISTIANUS LANGE,

THURING. ROSSLEBIENSIS.

HALÆ MAGDEB. TYPIS JOH. CHRISTIANI HENDELII, Acad. Typogr.



PROOEMIUM.



Olo caret, qui jure suo utitur, Juris Regula est *L. 55. ff*: hac regula & hoc jure fruuntur etiam Medici, dum ob rerum certas vicissitudines & necessitates, interdum quædam in ægrorum, aut in ægrotationes valde inclinantium hominum, salubritatem suscipiunt & inveniunt, imo præcipiunt & instar Regulæ commendant, quæ pro dolo, astu, strategemate & deceptione in sensu & respectu indiscreto haberi queant: interim suo jure medici utentes & pro circumstantiarum ratione procedentes, dolo utique carent: Si itaque juxta *Aristotelem Phys. Lib. II. c. 2. & Meteor. Lib. 4. c. 3. ars naturam imitatur*, aut juxta *Senecam ep. 65. ars naturæ imitatio* est, ita Medici officium artificiumque est, ut Naturæ languenti, aut excedenti, tanto magis suis negotiis incumbenti, prospiciat, ne aut turbetur,

aut

aut in errore obfirmetur, aut in defectu magis opprimatur; quare Medicus conscientiosus cum apostolo *1 Cor. 9. v. 22.* eloqui potest: *fui infirmis perinde ac infirmus, quo infirmos lucrifacerem: denique quibusvis, quidvis fui ut omnino aliquos servarem:* & quamvis interdum penitus Medicus, aliqua in artis suæ studio committat, quæ ægrum callide circumvenire videntur, tamen non modo salutaris scopus, sed & opportuna expectatio occasionis satis dolum, sensu communi acceptum, excusant; hinc Medici etiam studium esse debet, ut *arte* sua *naturam*, (videlicet justo ordine,) *imitetur & quod ea desiderat, inveniat*, juxta *Ciceronis ad Herenn.* verba *lib. 3. c. 22.* Quando etiam JCti de *dolo malo* & *licito* distincto significatu & applicatione loquuntur & licitum, quem etiam bonum nominant, dolum, solertiam laudabilem esse appellant, qua adversus hostem latronemque quis machinatur *in l. 1. §. 3. de dolo malo*, ita Medicis tanto magis ex arte & jure licitum esse potest, si graves morbos in ægrotorum salutem profligaverint, modo nihil contra gloriam DEi, integritatem conscientiæ & ipsius artis celebritatem contingat: quocunque enim modo medicus religiosus, conscientiosus & peritus morbi vim invertere & extinguere potest, id jure artis procedet: quamobrem non omne quod vulgo dolosum vocatur, actu tale, nedum malitiosum, aut respectu afflicti subjecti absolute insidiosum est: quando vero quisquam causæ perniciosæ & morbosæ qualemcunque ingeniosam & inventiosam, sive prudentem & peritam, subjugationem dolosam nuncupare

cupare mallet, minus proprie id ipsum vindicaret: *Practica* enim in sensu *bono* est *multiplex*, & si *necessitas nullam legem* habet, sequitur, in foro Medico varias inventiones locum obtinere, modo nihil superstitiosum & contra conscientiam suscipiatur: itaque ex *Galeno lib.6.epid. comm. 2.text.43.* refert *Rejes Camp. Elys. juc. quæst. 12. n. 1. Galenus aliquid hujusmodi permittere videtur, cum medicum instruit, circa timidum ac stultum ægrum versantem, apud quem multa, quæ illum ad meliorem frugem reducant, constantiam atque animum addant, præfari vult: nec tamen inquit, magnopere mentiaris: & parum infra de eisdem loquens: salutem polliceri tentato, non ut aperte mentientes faciunt:* sic aliquando *medica ars & disciplina implere debet, quod naturæ deest*, id quod de omni arte *Aristoteles l. 8. Polit. c. 17.* professus est: in talibus itaque intricatis casibus ars etiam longa & exercitata requiritur: etenim interdum ejusmodi casus obtingunt, in quibus salutaria remedia exoptatum effectum præstare haud possunt, quando videlicet subtiles causæ in *animo* & imaginatione subsistentes, resistunt: hinc recte *Philo in lib. de somniis* judicat: *Brevis vita, ut quidam inquit, ars longa, cujus amplitudinem is optime cognoscit, qui in eam descendit profundius, tanquam puteum fodiens, qualis quidam jam canus decrepitus capularis Senex, illacrymasse fertur, non ob ignaviam metumve mortis, sed scientiæ desiderio, quasi tum primum eam adiret, quando relinquenda erat:* quam ob rem prudens medicus ad imitationem Apostoli *2 Cor. 7. v. 8.* eloqui potest: *etiamsi vos dolore adfecerim, non me pœnitet, video enim, quod quantum ad epistolam istam, licet*

 ad

ad tempus affecerit vos - - - ut in nullo damnum haberitis ex nobis: & licet nonnunquam videatur, quod Medicus ægrum aſtu, aut deceptione quadam affecerit, tamen in ſalutem afflicti, non in commodum Medici hæc tractatio cedit: ingenioſitatem itaque, non prohibitum aſtum, nonnullæ medicationes ſapiunt, quibus interdum obſtacula removentur magna, & præjudicia aut corruptæ imaginationes leniuntur: quam ob rem *Barclajus in Icone anim. c. 2. p. 57. aſtum* pro *ingenioſitate*, quæ inter *Græcos* floruit, declaravit: & quamvis talis aſtus nonnunquam pro malitia, aſtutia, deceptione & dolo malo accipiatur, tamen *Buchnerus* in *Barclajum* commentans de voce aſtus adſerit, quod *iſta vox tam germanica, quam latina non ad culpam ſolum, verum etiam ad laudem poſſit uſurpari: ad laudem videlicet, quando uſui eſt reipublicæ, nec incommodum affert;* hinc ab eodem *Barclajo c. 10. p. 315.* veterum prudentia & aſtus in admirationem ducitur. Propterea requiſitum judicii practici & prudentiæ medicæ eſt, ut pro circumſtantiarum varietate & conditione conſilia inſolita neque communibus præceptis, methodis, regulis & formulis conformia, cauſæ tamen & ſubjecti qualitati reſpondentia, interim ad ſalutarem finem impetrandum idonea, inveniantur & applicentur: quare medicus talis ingenioſus & judicioſus non ægrum fallit & decipit, ſed in ægri ſalutem aut id, quod in morbo pernicioſum eſt, aut quod ſalutarem ſucceſſum & exitum impedit, decipit, intercipit & proſternit, ut finis hujus actionis ſit *Salus* ægroti: ita *Valeriola cap.*

7. enarrat. 6. dolo bono interdum cum ægris agere non solum medicum licere, sed necessarium esse, affirmat: quoniam itaque hanc methodum omnes judiciosi medici admittunt, ita huc quadrat *Aristotelis* effatum *Lib. 1. topic. cap. 10. illa quisque admittere solet, quæ probantur iis, qui in quaque arte versati sunt.* Prosit ut ægrotis, medicam nil dedecet artem, id fiat salva relligione modo eloquimur cum *Michaele Ayala* in suis *epigrammat.* quo valet, quod *D. Augustinus* in *Enchir.* profitetur: *multum quippe interest quo animo & de quibus rebus quisque mentiatur.* Prout etiam in variis casibus *imaginatio salutarem* artis medicæ scopum valde turbat, impedit & invertit, id quod *D. D. Præses in disp. de usu, lusu & abusu phantasiæ in Medicina* demonstravit. *conf. Bohnius in tr. de offic. Med. dupl. Part. I. c. 14. p. 287.* sub tit. marginali: *Medicamenta phantasiæ vis immutat*, ita nonnunquam *peculiari* modo perversæ imaginationi subveniendum est, quo reliqua medendi methodus & morbi status melius decurrat: hanc observationem curatius advertentes, dignum judicavimus, quo de eadem sub titulo MEDICINÆ STRATEGEMATICÆ nonnullas in Praxi Medica selectas animadversiones præsenti Inaugurali Specimine proponamus & commendemus; cui instituto ut benignissimus DEUS clementia sua adsistat, humillime rogamus.

§. I.

§. I.

NE præsentis scopi titulus *exosus* & *præjudiciosus* videatur, ante omnia necesse ducimus, quo illius *integritatem* probemus, insuperque indicemus, *quænam* sub eodem tractanda occurrant: in *communi* quidem significatu valde *suspecta* æstimantur *Strategemata*, siquidem *fraus*, *dolus*, *deceptio*, *fallacia*, *impostura* &c. aliquando pro *synonymis* accipiuntur vocibus; ast in *primo* suo significatu strategemata actionem quandam *militarem*, præcipue *virtuosam*, *ingeniosam*, distincte *prudentem*, ad *prosperam* quandam expeditionem, in hostis *inopinatam* subjugationem sub *intricatis* & *difficilibus* circumstantiis, abeuntem, denotant; quo itaque *prudens astutia* requiritur, qua *adversa* pars suum hostem *haud* præparatum & huic actioni *resistentem*, neque illam *prævidentem*, circumvenit & vincit: inde innotuere strategemata *Bellica*, quæ ducis alicujus *prudentiam*, vigilantiam, experientiam, *judicium*, inventiones, *ingenium*, solertiam & *dexteritatem* probant, quare *virtutibus heroicis* adnumerari possunt: sicut vero omnis actio bona etiam *male administrari*, aut *pravis* qualitatibus contaminari potest, ita dantur strategemata *honesta* & *licita*, alia vero *mala* & *illicita*: quare *Gerdesius* in *conclusionibus Juridicis de Evrematicis Sect. I.* dicit, quod bellica strategemata concessa sint jure HUMANO *L. nib. interest. 2. ff. de captiv. & postlim. revers.* DIVINO *Jos. 8. ubi August. qv. 8. Deut. 16. v. 1. 1 Sam. 5. v. 23. Judith. c. 13. Danæ. lib. 7. polit. christian. c. 6.* Et MORIBUS *Gentil. de jur. bell. lib. 2. c. 3. Polian. in tr. de stratag. Lipsiens. lib. 5. Polit.*

Polit: c. 17. Boter. de ſtratag. lib. 9. haud itaque cum *honeſtis* talibus actionibus in *arduo* & *intricato* rerum ſtatu *ingenioſo* modo *exoptatum* exitum obtinentibus, confuſio committi debet cum malo dolo & fraudulenta, iniqua, prava, malitioſa & illicita operatione: unde etiam germanicæ aut aliæ voces Finden, Räncke, Griffe, Stückgen, Streiche, Practiquen, Fineſſen, Sophiſtereyen, Chicanen, Betrug, Argeliſt, Hintergehung, Cauſen-Macherey ꝛc. *non promiſcue* pro ſtrategemate accipi debent: ob id etiam JCti *ingenioſas* ſuas actiones, quas interdum *ſtrategemata* nominare ſolent, *vindicant* & *ſalvare* ſtudent. *conf. Gerdeſii cit. diſp. de evrematicis ſ. ſtrategematibus juris*, *vulgo* **von Juriſtiſchen Findgen**, *Trautmann de ſtrategematibus Advocatorum*, *vulgo* **von Advocaten-Streichen**, *Hartung de aſtu jure non improbato*, **von zugelaſſener Liſt und Ranck**: & quamvis *improbum* & iniquum exiſtat, ſi Medici *illicitis* fraudibus utuntur, id quod *peculiari* obſervatione *Riedlinus in Lin. Med. An. V. Menſ. Auguſt. obſ. 21. p. 858.* teſtatur, inſuperque omnes *ingenui* Medici confitentur, tamen inter ipſos *Medicos quæſtio* ventilatur: an in *certis* caſibus *liceat Medico ægrotum fallere?* de qua quæſtione *peculiarem lib.* prodidit *Gabr. Naudæus. conf.* etiam *Caſp. Rejeſii Camp. Elyſ. juc. Qv. XII.* ſub tit. *an ſalutis cauſa liceat Medico ægrum decipere. Bohnius de offic. Medic. dupl. Part. I. cap. 4. p. 88. 89. Guibertus de Medico officioſo Part. 2. probl. 6. Roderic. à Caſtro in Medico Politico. Freudenberg de abuſu & impoſtura Medicantium, Maurit. Hoffmannus de Prudentia Medica, Freitag in Noctibus Medicis, Tidicæus de abuſu Medicinæ*: unde *Zacut. Luſit. in Med. Princ. Hiſt. Lib. I. hiſt. 37. obſ. 39. p. 75.* dicit: *Melancholici ſi*

arte curari non possunt, industria & fallacia opus est, quibus sanari experientia confirmat; quo etiam pertinent verba *Castelli de optimo Medico p. 46. non semper Medicus artis praeceptis & regulis, sed etiam ingenio & astu sanitatem restituit; Heurnius in Methodo ad Praxin lib. 3. c. 28.* circa finem eloquitur: *astu quae fit curatio, interdum non minus valet, tota magia, est enim instar strategematis in medicina*, & *Petrus Petitus Medicus Parisiensis in Comment. in Aretaei Libros p. 73. dolum bonum ad aegroti salutem directum Medicis concedit, Platonisque atque Galeni authoritate confirmat: vid. A. E. L. An. 1728. Mens. Mart. p. 109*: plura hoc loco de *Medicis* proferre possimus *testimonia*; aliqua illorum reservabimus ad *specialiorem* hujus thematis explicationem: suffecerit in limine ex suffragio *multorum* probasse, quod *ingenua salutaris* finis prosecutio, methodo etiam *extraordinaria* instituta, modo gloriam *Dei*, *proximi* salutem & propriam *conscientiam* non violet, *licita* & in *variis* casibus *necessaria*, imo *prudentiae* regulis conformis & *adaequata* existat: & sicut dolus in *genere machinatio dicitur, alium scienter & maligno animo laedendi*, uti *Trautmannus in disp. cit. cap. 1. §. 1. p. 6.* allegat, ita praesentis instituti actio, *minime* dolosa, licet *ingeniosa*, neque *malitiosa* & perniciosa, sed potius *fructuosa* & praecipue aegro *salubris* existit, quare ab omni *mala fama* & *culpa* libera, quin rectius *proba*, *honesta* & *licita* est.

§. II.

Ne vero *malus* sensus *titulo* nostro imponatur, per *Strategema*, *nostro* scopo conveniens, intelligimus *actionem ingeniose sub intricatis & difficilibus circumstantiis objecto, subjecto & rei adversis, inopinato accidentem attamen ad*

salu-

salutarem finem inventam & perductam: qua ipsa definitione non discedimus a *generali* strategematis acceptione, siquidem in foro *Medico* sub ejusmodi conatu *prudens* artifex aut cum *animo* ægrotantis, vel *moroso*, vel *timido*, vel *præjudicante* & perversa *imaginatione* operoso, vel per *connexionem* cum ipso *corporis* morbo commercium habet, ita ut tali *ingeniosa* actione animum *afflictum, perturbatum*, sollicitum & *anxium justo* modo *leniat, circumveniat*, demulceat & *corrigat;* & sicut vis *animi* & *imaginationis* præcipue *magna* est in *corpus*, ita etiam in *variis* casibus facilius *corporis morbus* mitigatur, si *animus* in *tranquillitatem* convertitur: unde *præcipue* hæc Medicina *strategematica* animi *præoccupati, renitentis*, falsa *imaginatione* operosi, nimis *sensibilis*, aliquando *perturbati*, contumacis, *immorigeri* &c. *mitigationem* respicit: hic animus *talibus* qualitatibus præditus est, *quasi hostis* ille, quem *ingeniosus* & *judiciosus Medicus* interdum singulari *tecto* & *secreto* modo *circumvenire*, complacare, lenire aut plane *subjugare* debet: id quod imprimis in *illis morbis* locum invenit, ubi *præter* morbum *corporis*, *animus* etiam ægrotat, aut in *aliis* casibus, ubi *propter* afflictum & perturbatum *animum* etiam morbus *corpus* detinet & cruciat; unde sæpe cum *probatis* cœteroquin remediis Medicus *corporis* curationem impetrare *haud* potest, ni prius *præjudiciosa animi* qualitas *emendata* fuerit: Inde facile liquet *quænam* dicatur *Medicina strategematica*, quæ non æque tantum cum subjectis aut *plene*, aut *semi* mente captis commercium habet, sed etiam cum personis *integra* quidem ratione, sed distincta *sensibilitate* & *imaginationis* valde negotiosa activitate præditis, conversatur: quare sæpe Me-

 dici

dici conqueruntur, de *ægrotis morosis*, de *teneris ægris*, de *sensibilitate personali*, de *valetudinariis imaginariis*, quales considerationes, ad *praxin medicam* apprime spectantes, *Illustr. D. D. Stahlius* & *D. D. Præses* variis diss. commendarunt & explicarunt: quemadmodum præsentem disquisitionem illustrant *D. D. Præsidis dispp. de Mente sana in corpore sano*, de *Motuum & Morborum consensu*, de *Morum mutatione sub morbis*, de *Usu, lusu & abusu Phantasiæ in Medicina*, de *Therapia morali*, de *Therapia imaginaria*: & quamvis *hæc* Curatio morborum per Strategema *moralis* inventionis & fori esse videatur, tamen interdum *præter* hunc *moralem* respectum etiam *exacte medica* indicatio & operatio cum illa cura respicitur & perficitur, quando sub *vario* titulo, *desiderio* & *imaginatione* ægri satisfacientia & quadrantia *remedia* offeruntur, quæ causis *physicis* & *corporis* morbum concernentibus, infringendis, quadrant; id quod in *variis* casibus magis illucescet: & quamvis *hæc* Medicina coram *ægroto* quantisper quoad unam & alteram circumstantiam *simulare* videatur, tamen quoad *principalem* scopum & processum *ingenue*, *dextre*, *prudenter*, *perite* & *fructuose* procedit; quoniam *afflictæ* & *turbatæ* imaginationi aliquando indulgere & connivere convenit; similem methodum servant in certis casibus *Theologi* & *Philosophi* Moralistæ, quando *anxias* & *afflictas* mentes, non *legali* rigore coercent, sed aliquando *indulgendo demulcent*, & in *primo* maxime *turbulento* statu quadantenus *tranquilliores* reddunt, *perversas* cogitationes, quæ præcipuum *impedimentum* afferunt, *corrigunt*, donec successive *alia* media *appropriata* adhibere queant: *Minime* vero *per hanc* Medicinam strate-

gema-

gematicam intelligimus, illas *fraudulentas* actiones, quibus quis *primariò* suum commodum, *haud* vero *ægri* salutem, intendit, quibus porro quis *suam gloriam*, *ostentationem* & *avaritiam*, obsaturare nititur, quibus *malo dolo* ægros *allicit*, *ab aliis* clandestino modo seducit & *avertit*, fraudulentis *persuasionibus*, *adulationibus*, malis *simulationibus* ad se ducit, per varias *intermediatas* causas, sive *presbyteros* consanguineos, sive *mulierculas* loquaces & multa garrulitate civitates percursantes, sive *obstetrices*, sive *chirurgos*, sive *postarum* & *diversoriorum* officiales & famulos, sive *missionarios*, amanuenses, amicos, alios consanguineos &c. modo illicito in præjudicium tertii, quin aliquando ipsius ægri, *numerosam* praxin sibi comparat, & ob hanc de *speciosa* experientia frivole & *gloriose* superbit: de quali *illicito*, *malo* & conscientiam violante strategemate *minime* cogitamus, ne dum quidem tractare volumus, minime omnium possumus, quia nobis *tales* astutiæ *incognitæ* sunt, nisi *titulus* actionum talium nobis innotuerit.

§. III.

Sed quoniam in *hac* Medicina *Strategematica* processus quidam occurrunt, quibus Medicus *Sensibilitati* & *Infirmitati Animi* & *Corporis* in ægroto satisfacere debet, ut propterea interdum honestæ *simulationes* & *dissimulationes* occurrant, aut *falsa*, *incerta*, *dubia*, *ficta*, &c. pro *veris* promittantur, offerantur aut declarentur, ita mox *Quæstio* illa proponitur: an non contra *conscientiam* sit, si *falsiloquium*, aut *mendacium* medicus committit? pro hac *decidenda* status controversiæ est instruendus juxta *subjecti* conditionem: nam idem Apostolus, qui *Rom. XIII, 8.* dixit, *quod non sint facienda mala, ut inde eveniat bonum,*

 con-

confessus etiam est 1 *Cor. IX. 22.* quod *factus sit infirmis, ceu infirmus, ut infirmos lucri faciat*, ita aliquando *Medicus* imitatur *Apostolum:* æstimanda & dijudicanda itaque erit actio medici, non *in se* & *simpliciter*, sed *relative* quoad *intentionem* & *inventionem*, quoad *finem* & *destinationem:* nam quæcunque actio *frivole* & *ludicre* suscipitur, quæ nullum *probum* & *ingenuum* finem complectitur, illa est *contra* conscientiam & *illicita:* si itaque medicus *justo* modo *proximi salutem* respicit, tunc illa actio, quæ *suspecta* videri posset, etiam ex parte *moraliter bona* est: jam vero *idea* illa, quæ in ægroto aut valde *sensibili*, aut *moroso*, aut *mente* turbato occurrit, licet *realiter falsa*, tamen *juxta subjecti* afflicti cognitionem, aut *vera* & præsens, aut *apparens* existit; quare medicus si morbo *animi* in ægroto satisfacere & succurrere satagit, non *absolute ficta*, falsaque, sed *talia* tractat, quæ ægro *videntur* vera; quare *minus indiscriminatim* mendacia, *simulationes*, fraudes, falsiloquia committit, sed *infirmo* ita *infirmus* evadit, ut inde *illius sanitas* recuperetur: haud tamen talia committit, quæ *superstitiosa*, quæ *gloriam* Dei offendunt, quæ *absolute* conscientiam *lædunt*, sed quæ *fideliter* & ingenue administrantur; qua actione cordatus, religiosus & conscientiosus, nec non peritus & judiciosus Medicus regulam apostoli observat 1 *Cor. XIV. v. ult. omnia decenter fiant & ordine:* Si itaque *morbus corporis* levari & *curari non* potest, ni *prius* morbus & afflictio *animi* necessariam *correctionem* obtinuerit, tunc interdum *talis* methodus *extra* regulam, non vero *contra* illam, conceditur & probatur: interim *conscientiosi* medici officium etiam est, ne ægrum, *sana* mente præditum, attamen *morosum*, aut *nimis*

mis ſenſibilem & *imaginarium* in idea quadam *ſuperſtitioſa* & *honorem DEi* & conſcientiam violante *confirmet*, ſed poſſibili *lenitate*, modeſtia & manſuetudine ad *meliorem* cognitionis frugem promoveat: hanc quæſtionem, breviter ventilatam non modo prædicti authores propoſuerunt & deciderunt, ſed & pro ſuo ſcopo *Trautmann in cit. diſp. de ſtrategematibus Advocatorum*, nec non *Struvius in diſp. de Dolo bono* defenderunt, explicarunt & applicarunt. Quare in *hac* actione Medica *non fucus* occurrit, ſed *bona* intentio, qua *ægri animi* & *corporis ſanitas* verus & ſincerus ſcopus eſt: neque hoc loco neceſſe ducimus, quo multa *exempla* ex *Sacra Scriptura* proferamus, ut ipſe Bened. Salvator *Luc. XXIV. 28. ſe geſſit*, *quaſi ulterius perrecturus eſſet:* Er ſtellete ſich, er thäte, als wolt er ferner gehen: ita *populus DEi* in *prœliis* aliquando *ſimulavit* fugam: David ſimulavit amentiam, Salomo ſimulavit juſſu ſuo diviſionem controverſi infantis, qualia ſimilia exempla in V. & N. Teſtamento uberiora occurrunt: Et quamvis hac deciſione *mendaciis* ex *neceſſitate* coactis verba *defenſoria haud* faciamus, probe ſcientes, quod illa mendacia coram divino judicio æque pœnæ ſubjecta, Noth-Lügen ſind im göttlichen Gericht nicht ſchlechterdings unſchuldig, frey und erlaubt, tamen in *præſenti* caſu non concedimus, neque adſeveramus, quod *Medicus* cura ſua ſtrategematica *tale* mendacium perpetret; quin rectius *adſeveramus*, quod ipſe *falſas* opiniones, & præjudicia ægrorum *ita* præparet & *judicioſe* dirigat, quo non modo ab illa *falſa idea* liberetur, ſed & a connexo *corporis* morbo reſtituatur patiens ſubjectum: & quemadmodum remedia non *abſolutam* vim medicamentoſam aut *ſalutiferam*

ha-

habent, sed *respectu* certarum *circumstantiarum*, ita medicus *aliquando* vomitorium, catharcticum &c. offerre potest, quod *non in genere*, sed *in hoc individuo talem* effectum exserit: quare secundum *diversam* relationem & interpretationem, Medicus *veritatem* dicere potest, si aegrotum *certum* facit, quod *uno eodemque* remedio ipsi aut vomitorium, aut *minus* tale, aut catharcticum, aut minus tale propinet &c.

§. IV.

Quo vero haec Medicina *prudenter* exerceatur, praestat nonnullas *Cautelas* observare, quo speratus & desideratus effectus facilius & certius obtineatur: 1) quia haec cura *reservatas* conditiones, *limitationes* & *speciales* qualitates habet, propterea *ultra suam sphaeram* haud extendi debet; quamobrem ratio *subjectorum* & *morborum* habenda est, quoniam in illis hominibus & affectibus, ubi *regularis* methodus satisfacit, *talia* refugia seligere *haud* convenit: quando itaque patientes *animo tractabiles*, morigeri & *consuetis bonis* consiliis obtemperantes deprehenduntur, non necesse erit, tali *circumventione* illos corrigere; quippe qui *idea erronea* non obruti & occupati sunt, adeoque *consuetis* adminiculis auscultant: 2) non praestat *praecociter* hanc medicinam adhibere, sed *aliquales*, *comparate* congruas, *praeparationes* adhibere, ne *sinistrae motuum* mutationes & plane *perturbationes* exciten-tur, neve in quibusdam casibus causa morbi *materialis subito* commoveatur, exacerbetur & in *perniciosum* effectum *praecipitetur*: 3) non convenit hanc curationem *nimium* cunctare, neque *serius* applicare, quando nunc *vis morbi adeo* accrevit & *motuum ataxias* & partium *fluidarum*

ac

ac *solidarum immutabiles* alterationes excitavit; quo tempore expectatus *salutaris* effectus fallit: 4) personis æque *judiciosis*, *integra* ratione præditis, animo vero *sensibilibus* & multis *intricatis* ac *contumacibus* idearum persecutionibus operosis, medicinam *talem* crasso modo ordinare haud convenit, ne strategematis *scopum* facile *penetrent* & *ægre* ferant, unde contingit, ut hac methodo *offendantur*, ob *illusionem*, quam arguunt, in gravem *indignationem* transeant, eamque ob rationem magis exacerbentur & lædantur, sub accusatione, man wolle sie betrügen, äffen ꝛc. id quod præcipue in personis *eminentioris* characteris & potestatis male succedit, quæ talem medicinam haud in *optimam* partem interpretantur, sed sub *morbosa* afflictione a medicis *absolutum* obsequium & curationem infallibilem, ita instructam & qualificatam dominio suo postulant, qualis ipsis *placet*, non quæ in *artis potestate* & præsentis casus rationali *medica methodo* consistit: 5) hæc cura modo *abscondito* & secreto administranda est, ne videlicet aut *ante*, aut *sub*, aut *proxime post* illam afflictus patiens adhibitum strategema penetret & *agnoscat*, alias aut *pristinum* malum relabitur, aut *alia nova* pathemata superveniunt: quo pertinet *observatio Cabrolii 9. de juvene a melancholia hypochondriaca astu ad tempus liberato, fraude vero cognita, in eundem affectum brevi relapso:* ita enim communiter evenit, ut arcano *detecto* & quando patiens percipit, quod *callido* modo tractatus fuerit, varii *animi* affectus, *indignatio* videlicet, *pudor*, *sollicitudo*, *suspicio*, *metus*, *angor*, *diffidentia*, &c. coincidant, qui non modo præsentem, aut prævium morbum *exasperant*, sed varia *nova* prava *accidentia* morbosa invitant: 6)

talis cura non facile remediis *fortiter* operantibus perficienda est, quoniam ejusmodi subjecta in *irregulares* motus admodum proclivia sunt, qui *talibus* remediis cito provocari solent, proinde ipsa *subjecta ægrotantia* insolitos effectus aut *inconsuetas* alterationes, in corpore suo obvias, admodum *speculabunde* & attente observant, indeque facile alterantur, dum videlicet operatio remediorum *vehemens* est, quæ corpus *nimium* afficit, insuperque afflictum *animum* in *consensum* ducit: quamobrem sub hac Medicina remedia *comparate* & *utplurimum mitius* operantia, attamen etiam, *efficacia* ordinanda sunt: 7) in subjectis *omnimode mente captis* & sensu *discretivo* ob amentiam destitutis, *hæc Medicina* locum non invenit: etenim licet *maniaci* & *summo* furore correpti *vi*, *vinculis*, *verberibus* coërceri queant, haud tamen illum *peculiarem* sensum habent, quo hac Medicina *in melius* facile aut prompte redigi queant: 8) in *infantibus*, quamvis *hæc* curatio non *multum* usum habere videatur, tamen non penitus *rejicienda* est, siquidem in iisdem, ob crebram medicamentorum *aversionem*, multiplex inventio excogitanda est, quo modo in *necessitate* urgente, sub varia *formula*, variis *occasionibus* & sub variis *persuasionibus* ipsis *salutaria* auxilia propinari queant: tanto magis hæc cura in *illis* infantibus locum invenit, qui jam *discretivo* sensu præditi & quoad remediorum *ingestionem* valde *immorigeri* sunt: 9) haud tamen *quilibet* hanc in se suscipiat curam, quoniam hæc non modo *exercitatum* & *peritum*, sed & *judiciosum*, *ingeniosum*, in variis casibus *probatum* & versatum, requirit medicum: quare in intricatis talibus affectibus non semper quilibet consultum invenire & ordinare potest auxilium, quoniam

intri-

intricati casus, non æque nudis remediis, sed *præter hæc, aliis* inventionibus & *ingeniosis* persuasionibus curari debent. 10) cavendum etiam est, ne *hæc* medicina in *uno subjecto eodemque affectu frequentius* adhibeatur, alias facile patiens *diffidentiam* quandam concipit & *speratus* effectus *non* consequitur, siquidem *ejusmodi* personæ mox a *primo* quodam experimento, aut auxilii usu, effectum *bonum* expectant, aut ex *frustratione* illius effectus *deceptionem* & illusionem quandam suspicantur: 11) cautela etiam observanda est, ne talis curatio *inopportuno* tempore adhibeatur, quando patiens valde *immorigerus* est, nec ullis *monitis* & pollicitationibus auscultat, sed multis *confusis* ideis obrutus est: quo tempore talis Medicina aut *nihil* utilitatis affert, aut *contrarium* effectum exserit: denique 12) hæc Medicina *non* suscipienda est, quando patiens non sufficienti *confidentia* in Medicum instructus est, sed potius *diffidentiam* erga ipsum fovet, aut quando æger sufficienti *imaginationis* efficacia non præditus est, quoniam hæc Medicina *principaliter* imaginationis subsidio *salutarem* scopum impetrat.

§. V.

In *Specialiori* hujus thematis explicatione, nunc aliquot *casus* & *occasiones* recensere placet, in quibus Cura hæc locum invenit: ubi haud existimandum est, quasi *tantum Melancholia* afflicti, interdum per *strategemata* Medica ad *meliorem* animi & corporis statum deduci queant, sed occurrunt etiam casus ubi hominibus *non mente captis* illa Medicina cum *fructu* adplicari potest: Hoc ordine itaque primo mentionem facimus *Infantum*, aut *morbis* correptorum, aut *proximius* in eosdem *inclinantium*: Et sane

Curationes morborum *infantilium* inter alia offendicula admodum *difficiles*, operosas & *odiosas* reddunt, ægrotantium eximia *resistentia*, extrema medicamentorum *aversio*, distincta *impatientia*, nec ulla facile *persuasione* corrigenda repugnantia, ita ut consultum haud sit, cum *vi* & *coactione* infantibus remedia *obtrudere* & ingurgitare velle, quoniam ob vehementem illorum *renisum* aut motus *convulsivi*, aut præsentis affectus *exacerbatio*, aut *novorum ominosorum* symptomatum convocatio, aut plane obtrusorum remediorum *contraria* operatio metuenda sunt; quare de variis *technis* inveniendis & *medici* & infantes tales tractantes alii homines solliciti sunt, quo v. g. *certo tempore*, quando videlicet infantes *sopore* quodam obnubilati sunt, wann Sie voll Schlaffes sind, aut in *certa formula*, aut sub *potu*, *pulpamento*, *cibo*, *lacte*, &c. remedia ipsis offerant: ubi vero satis frequenter contingit, ut ejusmodi *renitentes* infantes, mox ex *aliorum gestibus*, ex *odore*, *colore*, *sapore*, &c. clandestinam remedii oblationem arguant, propterea in futurum omnem potus ingestionem respuant, ut testimonia inde occurrant, das Kind sey gar zu listig, es mercke gleich, wann man ihme etwas einbringen will, man verleite ihnen so gar das Trincken, woran sie sich in der Kranckheit noch erholet und gelabet, sie schmachteten numehro lieber, und müsse man sich befürchten, daß sie deßwegen sterben oder kräncker werden möchten: man müßte es also gehen lassen, wie es GOtt füge: man könnte und dürffte sie nicht weiter mit Einnehmen quählen: interim aliquando *ejusmodi inventiones*, technæ & *strategemata* in Cura Infantum *ad vota* succedunt: sicut etiam hic mos matribus familias usu receptus est, ut *Ablactationem* tali *astutia* promoveant, quando certam

aver-

aversionis ideam in infante excitant; aut ut *potum nocturnum* infantibus *adversum* reddant, dum *sapori adversa* potui immiſcent, adeoque ab eodem infantes diducunt: ita etiam *similis* muliercularum mos eſt, quando in quibusdam morbis, *insipida* & innocentia potui commiſcent, velut C. C. ſin. ign. aut abſorbentia cum pulpamento conjungunt: in tali neceſſitate itaque *Medici suis* inventionibus ſubveniunt, quando v. g. cum *dulcibus* ſubjectis, *medicamenta* combinant, adeoque ſaporem fallunt, quando ſub morſulis, rotulis, paſſulis, prunis, fructibus conditis &c. medicamenta ingerunt; quando ſub ſomno *externa expectorationem* promoventia, *alvum* moventia, *revulsorium* effectum præſtantia, aliquando *vesicatoria* &c. applicant: quas ſingulas operationes admodum clanculum & callide perficere adeoque *immorigeros* infantes aſtu & *strategemate* quodam *circumvenire* debent: interdum circumſtantiæ & neceſſitas requirunt, ut infantibus *laxantia*, *diaphoretica*, *stomachica*, *mundificantia &c. sub lactatione*, quando *talia* remedia, *antea lactantibus* fœminis propinantur, quæ poſthac in infantibus prædictos effectus exſerunt: nonnunquam potui *consueto*, quo *sæpius* infantes utuntur, aquas deſtillatas, *non multum saporem* illius potus *alterantes* commiſcere licet, ut propterea communis innotuerit elocutio, man müſſe allerley mit Kindern verſuchen und vornehmen: quo titulo tamen minime *anilia*, *fabulosa*, *superstitiosa* & hujus commatis alia intelligimus, quæ ſæpe ſub tegmine *simplicium* & *domesticorum* commendantur, qualia experimenta & *conscientiæ* communi & *scientiæ* ac *peritiæ* medicæ *contraria* eſſe declaramus: tanto magis vero neceſſe eſt, varias *practicas* inventiones in *infantilium*

morborum curatione observare & commendare, quando *aliis* occasionibus ejusmodi subjectis tenellulis & pusionibus *aversio* a medicamentorum ingestione excitata fuit: interim & illud judicium & strategema medicum est, si sub morbis infantilibus *illa potulenta & esculenta*, quæ medicamentorum vices servare debent, non ægrotis tenellulis *adversa* redduntur, id quod facile accidere potest, quando infantes vel primo *sensus discretivi* alacriori facultate præditi, advertunt, quod talia *ordinaria* potulenta & esculenta, *medicamentorum* oblationem supplere debeant, id quod ex aliorum, hæc subjecta offerentium, simulatione, gestibus, loquela, concertatione &c. astuti infantes aliquando facile colligere possunt.

§. VI.

Quam *molliter* & indulgenter sæpe *Fœminæ* in morbis tractari debeant, crebræ observationes testantur; hæ enim in *nauseam* & medicamentorum *aversationem* pronæ & præcipites sunt, hæ in *vi imaginationis* admodum opeperosæ & efficaces, in *adversis, pravis* & *suspectis* accidentibus fingendis laboriosæ, in *animi pathemata* valde proclives sunt, præcipue in *indignationem* & *pudorem* cum *iracundia* & *metu* conjunctum; ob quas qualitates medicus sæpe *salutaria* consilia & auxilia applicare haud potest: quam ob rem tanta sæpe in iisdem subjectis adest *repugnantia* & contumacia, ut potius *mortem* subire, quam hoc aut illud remedium adhibere malint: inde etiam aliquoties contingit, ut *opportunitas fructuosa* in methodo medendi præterlabatur, adeoque *vis morbi* ita accrescat, ut *nulla vi artificiali* eidem amplius *resistere* liceat: quid quod innumeris exemplis comprobatum est,

quo-

quomodo *harum* qualitatum Fæminæ nonnunquam ex *diffidentia* & abhorrescentia *Medici* remedia respuant, interdum ipsum *nomen* remedii adversentur, aliquando *colorem*, *saporem*, *odorem*, *formulam*, *molem*, *modum* ordinandi, *repetitionem* &c. valde abhorrescant, variasque *confusas* & angentes ideas forment; unde non modo *morbi augescunt*, sed & *vis remediorum* infringitur, aut plane remedia *rejiciuntur*: non raro itaque contingit, ut *hujus* indolis fæminæ ægrotantes nullis persuasionibus & precibus, *remediorum* oblationem & ingestionem concernentibus, annuant, ob talem statum interdum tales personæ *divinæ* providentiæ & prognostico relinquendæ sunt: & licet *Septalius in animad. & cautel. lib. 1. §. 8.* ad officium Medici requirat, quod etiam *persuadere sciat* & *Plato Lib. I. de Legib.* afferat: *Medicus primum doceat & persuadeat, quid sit ægro faciendum, & non prius imperet, ita promptius parebit;* tamen in præsenti statu hæc monita & consilia haud ad *exoptatum* effectum deduci possunt; quoniam sequioris sexus *repugnantia* sæpe valde *pertinax* est & quo *magis* medicus *persuadere* contendit, eo magis personæ afflictæ *offenduntur* & in nocivam *indignationem* ruunt: hanc ob causam *alia consilia* velut *ex arena* capere, & occultas *inventiones* medici judiciosi & probati seligere debent, ut videlicet *clanculum*, in jusculis, decoctis, potulentis remedia, sapori non facile manifesta propinentur; quando vero tali modo remedia offeruntur, tunc fæminæ haud *insolito* modo & more ad illorum liquidorum & *ordinariorum* potulentorum assumptionem persuaderi debent, ne intentionem *occultam* advertant & in *adversum* aut *nocivum* animi affectum ruant: ob id etiam refert,

ne

ne talia remedia *majori mole* exhibeantur, qua facile ſtrategema *produnt*, neve valde *craſſa* exhibeantur medicamenta, quæ in *ſenſibilibus* & delicatis perſonis facile *ſub dentibus* ſe manifeſtant, qualia ſunt *groſſiora abſorbentia*; quin potius *repetitis* vicibus ſufficienter *levigata* & *rarefacta*, inſinuentur: ita etiam *adverſe* ſapida, ſalina, amara non facile exhibenda ſunt: & quoniam ipſæ fæminæ, ſatis ſæpe *valde callidæ* ſunt, ita *majori* prudentia opus eſt, ſi in illarum curatione *Strategemata* Medica cum *fructu* adhiberi debent: proinde *illa* occaſio etiam arripienda eſt, quo ſub *confortantibus* & ſic dictis *cordialibus* diæteticis mediis, quæ fæminæ perquam *amant* & deſiderant, ſub communi titulo einer Hertzſtärckung, ipſis *alia utilia* remedia intermiſceantur: in qua neceſſitate utplurimum Medicina *diætetica* & per *ſimplicia domeſtica* efficax, multam *utilitatem* promittit: quare in *talium* mediorum cognitione & inventione verſatus, exercitatus & promptus eſſe debet Medicus: etiam eadem in *neceſſitate* aliquando *topica* a fæminis talibus *ſenſibilibus* admittuntur, quæ vero non cum *adverſe olentibus*, aut qualicunque modo ejusmodi ſubjectis nauſeam & *averſionem* elicientibus, commiſcenda ſunt, alias illa confeſtim *removent*, nec unquam *alia* admittuntur, quin potius inde *moraliter* & *phyſice* offenduntur; denique quoad hæc ſubjecta, nonnunquam *verbalia* ſtrategemata, pro circumſtantiarum ratione, in uſum trahere convenit, ut mediante firma *imaginationis* operatione in *talibus* perſonis obvia, *ſalutares* effectus quandoque promoveantur & obtineantur, cum qua Medicina, *præſentis* inſtituti, etiam *Therapia moralis* & *imaginaria* combinanda erit.

§. VII.

§. VII.

Hæc meditatio nos ad aliam ducit, qua in prosecutione nostri Scopi monstrare possumus, in *quali subjecto* & *statu* porro Medicina *strategematica* locum inveniat; videlicet *non raro* in Praxi Medica *valetudinarii imaginarii* occurrunt, quorum *D. D. Præses* in peculiari *disput.* ampliorem mentionem fecit: cum hisce itaque & *moraliter* & *physice* valde *delicate* procedere convenit, quoniam horum subjectorum *scrupulosa* & valde *operosa* imaginatio morbos *excitare*, excitatos *exacerbare* & exacerbatos *immedicabiles* plane reddere potest & solet: tanto magis *hujus* qualitatis homines *aliis* mediis offendi possunt, ut propterea in illorum *medica* tractatione magna *prudentia* opus sit: & quamvis ejusmodi ægrotantes sæpe etiam *magno* desiderio *medicam* opem requirant, tamen vicissim facile evenit, ut *sollicitus* & *officiosus* medicus sua cura & vigilantia ipsos ita *anxios* reddat, ut exinde sui morbi *pessimum* gradum & statum *suspicentur* & interdum ipsi medici & adstantes titubent, quo modo talibus afflictis mentibus satisfacere conveniat, quo illarum desiderium *ad vota* impleatur: Horum subjectorum *imaginationi* in nonnullis casibus *indulgere* convenit, quamvis non semper *inventiones* practicæ regulis *medicis exacte* quadrent: observanda tamen erit cautela, ne admittantur & suscipiantur *talia* experimenta, quæ aut *actu nociva* sunt, aut *facilius nocere*, quam *juvare* possunt: haud vero nobis sermo hoc loco est, de *absolute corrupta* imaginatione, sed de hominibus *integra* quidem ratione præditis, *intricata* tamen, *speculabunda*, scrupulosa & *anxia* imaginatione laboriosis, quorum impressioni *non*

D *di-*

directe, neque *rigorose* & cum *vi resistendum*, sed potius quavis *bona voluntate* & promissione obviam eundum est: hinc ejusmodi ægri *oblocutiones* & *contradictiones* perferre *haud* possunt, sed ut plurimum absolutam obedientiam, indulgentiam & assensum, si non semper *aperte*, tamen *tacito* desiderio requirunt, es soll alles nach ihren Sinn gehen: *talibus* ægrotantibus interdum *promittere* quicquam licet, sed promiscue *servare* non convenit, ne *læsio* illis afferatur, unde promissa ad *aliud tempus* differri, aut *alio modo* & *ordine* instrui possunt & debent: provide tamen cum talibus subjectis procedere decet, ne illorum animus *irritetur*, neve ex ejusmodi affectu *damna* graviora oriantur: aliquando tales *ægri imaginarii certa* remedia, aut *omnia* medicamina odio & *aversione* prosequuntur; in quo statu nedum quidem illos aliqua *persuasione* allicere expedit, sed si *hæc* medicamenta ipsis perquam utilia agnoscuntur, in alia *forma*, aut alia *occasione*, aut sub *alio vehiculo*, de quo *minime* cogitant, quod *ullum remedium* comprehendat, offerenda sunt; (*Conf. Thonerus Lib. 3. tit. fastidium ciborum &c. obs. 5. p. 145. tit. obs. ad Cachexiam dispositus abhorrens a medicamentis, solertia medica restitutus* & quidem tali cura strategematica; ubi clanculum ægroto medicamenta sub cibis insinuata fuerant:) interim securos & certos illos reddere expedit, quod ad ipsorum voluntatem *nulla* pharmaca ipsis *obtrudi* debeant, sed quod potius bono *regimine*, congrua *diæta* & robore *naturæ* præsentis morbi *subjugatio* perfici debeat: inde aliquando contingit, ut, si de *remediorum* assumptione *non anxie* moniti fuerint, vel *sponte* eadem desiderent, sub illa aliorum exclamatione, man müsse sich nur in ihren Kopff richten, sie wollen ihren Willen haben, und zu

nichts

nichts forçiret seyn: inde etiam evenit, ut remedia, quæ *sponte* postularunt & *placide* ingesserunt, longe *meliores* operationes exserant, dum contra, quæ ipsis *obtrusa* fuerant, *contrarios* & *perversos* effectus edant: aliquando ejusmodi subjecta *certarum* virtutum medicamenta postulant, quæ quidem ipsis *nociva*, ad minimum *haud secura* sunt, quorum *effectus* tamen, si *leniori* modo consequeretur, haud inutilis esset, in quo casu ipsorum *imaginationi* indulgere & remedium quoddam exhibere expedit, sub persuasione, quasi *illud* sit, quod prius desiderarunt; inde iterum aliquando accidit, ut ob *imaginationem* ægri, *ille* effectus, *mitiori* tamen successu, consequatur, quem verum illud *alterum* remedium præstiterit, cujus tamen oblationem certæ quandoque circumstantiæ *prohibuerant*: quibus exemplis tantum demonstramus, quam vario *modo*, variaque *occasione* realiter *imaginarios* tales patientes *circumvenire* liceat: & quamvis haud nostrum propositum fuerit, *singulos* illos modos nominare, quibus *Strategematica* Medicina exerceri queat, (qualis peculiaris modus etiam allegatur in *A.N.C. Dec.3. An.5.6. obs.117. de asthmate periodico convulsivo singulari, stratagemate curato)* siquidem per *temporum* intervalla & per *subjectorum* & *morborum* conditiones, semper *novi modi* inveniri possunt; ut adeo in *reservatis* casibus *judicio* medico *inventio* talis relinquenda sit, tamen placuit hoc ordine indicare, quod utique *hæc* Medicina in *variis* casibus, sub directione *imaginariorum* subjectorum, *congruum*, imo quandoque *necessarium* locum inveniat.

§. VIII.

Singularem porro annotationem merentur ægrotantes *valde Sensibiles*, qui nonnunquam *ingeniose* tractari debent,

bent, dum *levi* causa eximie *alterari* & offendi possunt; tales enim patientes modo respectu *methodi medendi*, modo quoad ordinata *remedia*, modo quoad *morbum* ipsum, modo ratione *tardius* apparentis *salubris* effectus oblatorum medicamentorum varias *exceptiones* formant, eaque propter in multiplicem *confusionem* & *diffidentiam* abeunt, ut dehinc medicus *multo* opere tales personas iterum *complacare* & de *meliori* instruere, pro eodem etiam fine *prudenti strategemate* aliquando uti debeat: in hac sollicitudine præcipue attentionem merentur ægrotantes personæ de stemmate *celsiori* pendentes, adeoque ab ipsis medicis non *officia*, sed *servitia* expectantes, quæ ob stirpis & *dignitatis* suæ eminentiam *communiter* in morbis valde *sensibiles* sunt, cum quibus valde *molliter* & *delicate* procedendum, die man wie ein roh Ey tractiren muß, quæ *plures* interrogationes a medico ægre perferunt, sed tantum *brevi* intervallo *infallibilem* opitulationem requirunt: quibus conscientiosus & cordatus medicus regerere potest cum Rege Israelitarum 2 *Reg. V. 7. num Deus ego sum, ut occidendi vitamque conservandi potestatem habeam!* in *talibus* itaque subjectis medici *instructi* & præparati esse debent, quo in variis casibus *peculiaribus* inventionibus eadem circumveniant, quo *salutarem* scopum acquirant: utut vero in genere talia sensibilia subjecta *circumspecte*, *leniter* & delicate tractari debent, attamen *non consultum* semper est, ut juxta *illorum voluntatem* medendi methodus instruatur; si itaque *providus* medicus advertit, quod manifesta *oblocutio* eadem offendat, ita *verbis* illorum *nutui* indulgere, *factis* vero *talia* adhibere potest, quæ ipsis maxime *salutaria* &

ne-

necessaria sunt: si etiam pro sua sensibilitate *cordialia* & analeptica valde desiderant, tunc *præter hæc illa* etiam *commixta* præbeantur, quæ *præsenti morboso* statui *præcipue* conducunt: si sensibiles patientes non modo *crebram* remediorum ingestionem, sed & multiplicem *variationem*, ob metum mortis, urgent, tunc ipsis quadantenus *connivere* expedit, ut *doses* medicamentorum partim *minuantur*, quo *frequentius* propinari queant, partim quo medicamenta, quæ semel *utilia* esse judicantur, in variante *formula*, aut *alio sapore* prædita exhibeantur. Ita etiam in *aliis* casibus *comparate* medicus ingeniosus & judiciosus procedere debet, ne *sensibiles* ægros offendat & tamen illorum *mollitiei* satisfaciat. Hoc ordine reminiscimur etiam *talium* ægrotantium, in quibus *certa hæreditaria dispositio* quandoque certa, congrua & *secura strategemata medica* requirit, qui patientes alias etiam perquam *provide* tractari debent: etenim vi hujus *dispositionis* quidam homines *sanguinis* conspectum valde aversantur, quibus tamen interdum evacuatio sanguinis *valde necessaria* existit, in quali casu deliberandum est, ut talibus personis sub *profundo* quodam *somno* vena circumspecte secetur, aut *hirudines* diversis corporis locis applicari queant: quod consilium si locum haud invenit, alio *ingenioso* modo tentandum est, quo ipsis *privative* sanguis molestus minuatur, per *victum* & *potum tenuem*, nec *multum alimentosum*, ubi clanculum ipsis e culina & cella *aquosiora* minusve pinguia subjecta exhibeantur: interdum quidam homines *vomitoria* perferre nequeunt, quibus, quando *vomitus utilis* decernitur, aut cum alio *innocenti*, paululum tamen *sapori adversa* remedio, aut

alio modo *nausea* excitante, aut paulo largior *aquosorum* vel *oleosorum* congruorum ingestio concedenda, quæ perinde nonnunquam vomitum provocant: ita similis commoda inventio locum tenet, quando *alvum moventia* tales homines perferre *haud* possunt, quibus clanculum *mitius laxans* sub *alio titulo* exhiberi potest: non minus quandoque *certam* remedii *formulam*, certum *saporem*, *colorem*, *odorem*, ob eandem *hæreditariam* dispositionem tolerare minus valent: quibus propterea alii *occulti* modi seligi debent, qualibus remediorum præsentes qualitates *sufficienter* immutari possunt: ubi tamen sciendum, quod cum *eximio sensibilitatis* gradu ejusmodi personæ *tales* remediorum qualitates percipiant; unde consultius *alia* remedia, *alterius* saporis, odoris &c. *ejusdem* vero virtutis substituuntur: quamvis *color* remediorum facilius *occultari*, aut *formulæ* citius *mutari* queant: *eadem* monita concernunt etiam rationem *Idiosyncrasiæ*, in certis subjectis obviæ, cum quibus *simili* modo procedere convenit; quamvis ad hæc subjecta *eædem* regulæ & animadversiones applicari queant, quæ in præced. 7. §. commendatæ prostant.

§. IX.

Seorsim vero mentio injicienda est *Melancholicorum*, *Strategematica* cura restitutorum: etenim constat, quod tales homines interdum *lepidas*, attamen *pertinacissimas*, *imaginationes* habeant, quibus morbum suum probare volunt & *sustentant*: diversa hujus Medicinæ Specimina a variis observatoribus proferuntur; qualia referuntur a *Rejesio*, *Bohnio*, *Heurnio* locis supra allegatis, a *Zac. Lusit. in Praxi admir. Lib. 1. obs. 48. de Melancholico, qui arbitrabatur*

tur se perpetuo frigere, *ingenio curato* & *obs. 49. de Melancholico, qui perpetuo exclamavit, peccata sua nunquam a Deo esse remittenda*, æque ingeniose restituto: *conf. ejusd. auth. Hist. Med. Princ. Lib. 1. hist. 37. obs. 39. conf. Camerarius in Syllog. memorab. Cent. 4. partic. 1.* quo loco author provocat ad *Heurnium* (cujus historiam *astu curati morbi* allegat) *Lemnium* & *Döringium*: *A.N.C. Dec. 1. an. 3. obs. 49. an. 10. obs. 41. Dec. 3. an. 1. obs. 14.* quo loco *Paræi* verba allegamus *in introduct. ad chirurgiam p. 36.* aliquando *Technas in curando morbo, vafrumque quoddam consilium sequimur*, *cum occurrentis morbi essentia plane cæca est & abdita*, *vel quod naturæ sit penitus abditæ & latentis*, *quæque manifestis qualitatibus nequeat explicari*, *vel quod in subjecto insideat*, *quod nec nobis satis notum est*, *nec medicæ existit contemplationis*, *cujusmodi est animus*: mox author talia exempla commemorat subjectorum strategemate curatorum: *Solenander Sect. 5. conf. 15. n. 18. Quercet. diætet. Cabrolius obs. 12. Schenckius Lib. 1.* ubi de *Melanch.* agit: *obs. ult. Hagendorn Cent. 1. hist. 44. de Melancholicis strategematibus curatis*: quas relationes author hisce inchoat verbis: *mirabile phantasma sedet animis melancholicorum*, *nonnisi mirabili arte corrigendum*: *Tulpius lib. 1. cap. 18. Th. a Veiga in comm. in art. med. Galen. Cardan. lib. 19. de subtil. Marcell. Donatus de medica Historia mirabili Lib. 2. cap. 1. p. 93. 94. 95.* præter multos hosce authores, varii adhuc *mirabiles* Melancholicorum *imaginationes* testantur, in quibus *Celsi* monitum *Lib. 3. cap. 18.* quod *melancholicis magis assentiendum*, *quam repugnandum sit*, applicari potest; etenim quo magis *Melancholia morbosa* afflicti sunt homines, eo magis *operosa*, *confusa*

&

& *contumax* est *vis imaginationis*: quo magis huic quisquam *resistit*, eo immoderatior & *impetuosior*, imo magis *turbulenta* illa redditur; quamobrem illorum *perversæ* opinioni *ita* subveniendum est, ut *ingenioso* quodam modo *objectum* illud removeatur, circa quod *sollicite* & *anxie* homines versantur, ejusque *remotionem*, aut *emendationem* enixe desiderant: hoc etiam modo ita afflicti homines *aliorum remediorum* usum admittunt, qui potius sub alia *adversa morali* correctione, morosa & *rigorosa* reprehensione, aut castigatione *pertinacissimè* medicamentorum ordinationem *respuunt*, adeoque *animo* magis *confusi* & *corpore* gravius ægrotantes evadunt: hinc *prudentis* & *ingeniosi* medici officium est, quo ejusmodi hominis *perversam ideam* primum corrigat, *animum* subinde *leniat* & tranquillet, inde *facilius* reliqua *physica* corporis afflictio aliquando curari potest & solet; id quod in prædictis exemplis abunde patescit: interim etiam cum ejusmodi miseris personis quoad *talem* curationem *præcautio* observanda est, ne *strategema*, aut circumventionem agnoscant & *penetrent*; alias aut *pristinum* malum *majori* vehementia revertitur, aut illæ personæ ita *confusæ*, morosæ & *intractabiles* evadunt, ut *nullis monitis*, persuasionibus & consiliis *obtemperent*, sed potius in *qualibet* tractatione *fucum* & *dolum* perniciosum *suspicentur*: interim minime judicamus, quod in talibus ægrotis *nuda hac* medicina niti deceat; quin rectius affirmamus, quod antea per *congrua alia* auxilia *generalis*, imo interdum *specialis* præparatio *corporis ægrotantis* instituenda sit: interea quoad reliquam tractationem, tales afflictæ personæ singu-

lari

lari *lenitate* & moderamine dirigendæ ſunt, ne unquam i-pſis *diffidentia* oboriatur, erga illos, a quibus *ingenioſa* talis medicina ipſis præſcribi & ordinari debet: attamen in ejusmodi Strategematica Medicina cum talibus ægris *ſerio-ſe*, non vero *jocoſe*, aut *moroſe* procedendum eſt, quo aliqualis *confidentia* & *ſpes* de obtinenda *ſanitate* in iisdem erigatur: quibus regulis adhuc addimus, ut talis *ingenioſa* Medicina tempeſtive adhibeatur, priusquam affectus tam quoad *animum*, quam quoad *corpus firmiores* radices capeſſivit: interim etiam maxime neceſſarium eſt, quo ſub hac *curatione morali*, congrua *medica* auxilia ordinentur, ne ob remediorum *pharmaceuticorum perverſorum* uſum, *corporis* pathemata exacerbentur, unde *animi turbæ* ſemper *nova irritamenta* nanciſcuntur, adeoque iterum hæc medicina ſtrategematica *ſperatum* effectum haud ſortitur, ſed potius *præſens* affectus, tam quoad *animi*, quam quoad *corporis* ærumnas magis increbeſcet: ex quibus obſervationibus & regulis, *generice* allegatis, facile inclareſcit, quod in *Melancholicis* ſubjectis *hæc* Medicina nihilominus perquam *judicioſe* adminiſtranda ſit: juxta dicterium, weiln die Narren manchmahl comparate klüger ſind, als man meinet.

§. X.

Denique in nonnullis caſibus & circumſtantiis *conſcientioſus* & *judicioſus* Aſtus Medicus committi poteſt, quando ægris valde *ſenſibilibus* & *imaginariis* gravitas & *periculum* morbi non *ſubito* & *anxie* aperitur, ne præ *timore* ægri certius & citius *vita* priventur, qui ſub *aliquali* animi *præſentia* & *continentia* peri-

culum *morbi* juxta ſpem *humanam* medicam *ſuperare* forte potuerint: & licet *conſcientiam* medici violet, ſi tales ægros de *nullo* periculo ſecuros reddere, aut *gravem* morbum abſolute *levem* facere, aut *certam* & indubiam *ſanationem* promittere velimus, tamen *prudentis* medici officium eſt, ne periculum quale eſt, *adeo eximium* ſignificet, interim morbi *gravitatem* quidem, ut *quadantenus* indicet, neceſſe eſt, perinde vero qualibet *conſolatione* ægrum erigat, *divinæ* providentiæ, directioni & bonitati illum committat, neve *omnimode* deſperet, illum admoneat, omnemque *poſſibilem* humanam *opem* & ſollicitudinem promittat; in tali itaque neceſſitate præſtat potius ægrum in *ſpe* & *confidentia* erigere, quam penitus *proſternere*; nam & ipſe Medicus in *periculoſiſſimo* ſtatu ſub *aliquali* ſpe *officium* ſuum exequitur: vero ubi *omnis* ſpes decollat, tunc etiam ab *omni remediorum* ordinatione *abſtrahit*: Sicut porro *periculoſe* ægrotantibus, ob conniventiam, *non moroſe* ſanitas *deneganda*, ita non *audacter promittenda* eſt; interim ipſi *ægri* ſæpe *in morbis* ſentiunt, ſe ſanitatem *haud* impetraturos, quare *præmature* illos *angere*, & prædictos *timidos* homines mox in *primis* morbi initiis *perturbare* velle, conſultum *haud* eſt, quoniam *animi magna vis* eſt in *morbos ſublevandos* & *exacerbandos*; inde innotuere formulæ loquendi, man müſſe denen Krancken die gefährliche Vorſtellung und fürchterliche Gedancken ausreden und ihnen vielmehr einen Muth zuſprechen: minus vero *conſcientiæ* & *prudentiæ* congruit, tales *periculoſe* ægrotantes *nimis ſecuros* reddere: in quo caſu aliquando ſtatus animæ *ſpiritualis* in irre-

irreparabile incidit damnum, quo temerarius & *injuste* callidus medicus ansam præbuit, qui non modo *quodvis* periculum celavit, sed & longe *alios* decursus & eventus promisit, adeoque usque in ultimum halitum nimis securum reddidit patientem: de qua meditatione *conf. D. D. Præsidis Medicinæ Theologicæ disput. 2. p. 70. de Conscientia medica & disp. 1. de Religione Medici:* nec non *Rejesius, Bohnius loc. sup. cit.* quam ob rem superius monuimus, quod Medicina Strategematica ægroto *haud nociva* esse debeat: *maxima* vero noxa est, si *anima* dispendium patitur, quæ *sua salute* nullo modo privari debet: Præterea hæc Curatio ita judiciose instituenda est, ne Medicinæ *ordinariæ* per *salutaria* & congrua remedia *naturalia* & *materialia* officiosæ, resistat, sed quo mutua ope una alteram *allevet*; hinc multi monent & præcavent, ne alicui *medicamentorum* ingestio *tædiosa* & adversa reddatur, man müsse einem die Artzeney nicht zuwieder machen: ob id aliquando Medicus in certis casibus illo strategemate patientem disponere potest, quando ipsemet in conspectu ægri idem præscriptum remedium aliquando *verum*, aliquando *supposititium* assumit: quando vero peritus Medicus sufficienter & convenienter *corporis marbum* medicina *pharmaceutica* subjugavit & curavit, si tunc vero *animi morbus tantum* & *adhuc* subest, in illo casu non æque necesse est, *ulterius* corpus *medicamentis* onerare, sed potius *strategematica* hac Medicina *falsam* & *perversam* animi ideam, aut *imaginationem* quietare, extinguere & emendare: Et hæc sunt, quæ præsenti themate, succincta quadam commendatione & deductione explicare voluimus.

DEO

DEO humillimas gratiarum actiones tribuentes, quod sua Bonitate in hoc labore perficiendo nobis adesse voluerit: quem pariter devotissimis flagitamus precibus, ut sua benedictione & cœlesti directione efficiat, quo hæc Medicina, religiose, conscientiose, judiciose & fructuose exerceatur, insuperque alma ejus gloria proximique salus constanter obtineatur, qui præsentis etiam laboris verus & sincerus erit

FINIS.

